



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. XII. An infidelium ritus tolerandi sint: aut ipsi, vt eos deserant, cogi
possint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

Quarta conditio est, ut id fiat sine legitima facultate, quam solus Pontifex (nisi id alicui speciatim concefferit) dare potest.

179 Nota Secundò, in indice librorum prohibitorum regula secunda, nos prohiberi præterea sub pœna excommunicationis sine legitima facultate legere libros hæreticarum, de quacumque materia scripti sint. Aliorum verò hæreticorum libros non tractantes de religione, ne hæresim continent, tunc permitti, quando à legitima potestate approbati sunt. In quo indice varij etiam libri continentes aliqua fidei Catholice aduersantia, sub pœna excommunicationis prohibentur legi, quidam verò permittuntur postquam purgati sunt. Hæc tamen excommunicatio non est reueruata.

Sanchez. Notat præterea Sanchez suprà numer. 31. ob paruitatem materiæ ab his pœnis excusari qui legeret solam vnam paginam etiam libri in folio impressi, ubi plures etiam particulares casus circa hanc materiam notat.

180 Dicendum Tertiò, contra nostros hæreticos hanc legem Ecclesiæ esse iustissimam, quia ipse est auertere quantum fieri potest omne periculum peruerſionis à suis subditis, quod ex tali lectione grauissimum plurimis impendit, vt docet experientia, & multorum ex ea lapsus. Quamuis autem plurimi sint, quibus ex eiusmodi lectione nullum periculum impendit, quia nimirum docti, prudentes ac firmi sunt in fide, tamen vt illud periculum efficaciter auerteretur, debuit ea lectio generatim omnibus prohiberi, & relinqui solius Ecclesiæ siue Pontificis iudicio, quibus ea deberet permitti. Nam si solum fuisset prohibita ijs, quibus inde periculum imminet, & cuiusque arbitrio fuisset relictum, vt iudicaret an sibi periculum immineret, lex positura nihil superaddidisset naturali, & ita fuisset frustra, nec illud periculum sufficiens ex parte sua impedituisset, nam maxima pars eorum quibus ea lectio periculossima est, iudicasset se ab eo periculo longissime abesse (nam facile de nobis magna præsumimus) & ita securè venena hauisset. vide quæ hac de re in simili dixi tom. 2. de Sacram. disput. 26. num. 21.

181 Probatur Secundò, ex antiquissima Ecclesiæ & Christianorum principum consuetudine. Nam Actorum 19. multi qui fuerant curiosi sectari (legendo scilicet libros magicos, aut alios prauam doctrinam continentes) libros suos combusserunt, qui tamen erant magni pretij, vt ibidem dicitur, & insinuat id factum iussu Apostolorum. Item Concilium Nicenum iussit comburi libros Arii, vt testatur Nicephorus lib. 8. cap. 18. Idemque sub grauissimis pœnis statuit Constantinus Magnus. Vide Baron. anno 325. Item Theodosius & Valentinianus l. Damna- 6. C. de hæreticis & Manichæis, §. Nec verò, iusserunt comburi omnes libros Nestorij. Et Valentinianus ac Marcianus ibidem, l. Quicumque, §. 8. Nec vlli, sub pœna deportationis in insulam prohibuerunt libros Nestorij aut Eutychemis legi aut feruari. Vide plura hac de re apud A Castro lib. 2. Cominch de act. supernat.

de Legè pœnali, & Bellarminum lib. 3. de Laicis cap. 20.

Obijciunt hæretici. 1. ad Theſſalon 5. dicitur, *Omnia probate; quod bonum est tenete.* ergo licet legimus hæreticorum libros, vt probemus si quæ in ijs bona sunt. Confirmatur Primò, exemplo D. Hieronymi, qui ex hoc loco probat suam consuetudinem legendi libros hæreticorum. Secundò, exemplo Dionysij Alexandrini, qui teste Eusebio lib. 7. historia cap. 6. reprehensus quòd legeret libros hæreticorum, respondit sibi in visione dictum fuisse, *Lege omnia quæ ad manus tuas venerint, valebis enim omnia expendere & examinare.* Similiter Theophilus Alexandrinus reprehensus quòd legeret libros Origenis, quos ipse cum alijs damnasset, respondit se ex ijs velut ex quodam prato bonos flores colligere, & quæ spinosa ac aculeata erant præterire.

183 Respondeo Apostolum ibi loqui solum de prophetiis nondum damnatis, siue quæ nondum erant examinata: quales essent: nos autem agimus de libris hæreticorum iam ab Ecclesia damnatorum. Item Apostolus vult illud iudicium esse non alicuius priuati, sed ipsius Ecclesiæ, ad quam scribit, siue ipsorum Præſulum Ecclesiæ, quare hic locus nihil contra nos facit.

Ad primam & secundam confirmationem, respondeo tunc temporis non omnes hæreticorum libros fuisse generali omnino lege prohibitos, sed tantum certos, nunc autem omnes prohibiti sunt. His adde Primò, vel illis exemplis satis constare fuisse tunc temporis in Ecclesia consuetudinem communiter receptam, etsi fortè non ita strictè omnes omnino obligantem, abstinendi prius ab omni lectione librorum hæreticorum: alijs dicti viri non fuissent reprehensi, quòd eos libros legerent. vnde etiam Dionysius Alexandrinus ante cælestem iussione non fuit ausus eos legere. Adde Secundò, dictos viros fuisse in Ecclesia valde eminentes, quibus idè tunc meritò eiusmodi lectio fuit speciatim permessa, iuxta canon. 16. Concilij IV. Carthagin. vbi Episcopis permittitur vt libros hæreticorum necessitate id exigente, verbi causa, vt eorum errores refutent, legant; qua ratione etiam modò id multis speciatim à Pontifice permittitur.

D V B I V M XII.

An infidelium ritus tolerandi sint: aut ipsi, vt eos deserant, cogi possint?

184 Nota infideles triplicis esse generis: quidam enim sunt baptizati, quales sunt omnes apostatæ à fide, siue sint Iudæi siue Gentiles. Alii verò non sunt baptizati, sunt tamen subiecti principibus Christianis. Alii demum nec baptizati, nec his villo modo sunt subiecti & circa hos est præcipua difficultas, vtrum Ecclesiæ, aut principes Christiani possint eos cogere vt vitent peccata contraria legi naturæ, &

consequenter ritus huic repugnantes, v. c. idololatriam, & similes.

Maior.
Antonin.
Abbas.
Hostiensis.
Silvester.

Quidam affirmant hanc potestatem esse in Ecclesia, & Christianos principes, praesertim accedente auctoritate Pontificis, posse reges idololatrias, contra ius naturae peccantes punire, ac si opus sit, vi ac armis suis regnis expellere, eaque occupare. ita Maior in 2. d. 44. quaest. 3. Antoninus 3. p. tit. 22. Abbas in c. *Quid super his*, de voto. Hostiensis ibidem, Silvester v. Papa quaest. 7. qui omnes docent, infideles peccantes contra clarum ius naturae posse per Pontificem aut Imperatorem puniri. vnde vltimius sequitur, eos, si corrigi nolint, posse regnis suis priuari. Idemque expressè etiam habet Antonius Franciscus de Doctoribus in notis ad Abbatem supra.

Anton.
Franciscus.

185
Eccles. 10.

Probant Primò, quia Ecclesiastici 10. dicitur: *Regnum à gente in gentem transferetur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* vbi Scriptura docet, aliquos propter dicta peccata amittere sua regna, eaque ab alijs legitimè occupari. Confirmatur exemplo Israelitarum, qui plurimas gentes propter eorum idololatriam deleuerunt, & eorum terras possederunt. Secundò, quia D. Cyprianus in sua Exhortatione ad martyrium cap. 5. cum ostendisset Deum in veteri lege praecipisse idololatrias interfici, subdit: *Quod si ante aduentum Christi circa Deum colendum, & idola spernenda haec praecepta seruata sunt, quanto magis post aduentum Christi seruanda sunt?* Tertiò, quia D. Gregor. lib. 1. registri epistola 73. laudat Gennadium Exarchum Africae, quod contra infideles bellum gerens fidem dilaret. Quartò, quia licet inferatur alicui genti bellum ad vltimèdas iniurias alicui homini illatas: ergo multò magis id licet ad vltimèdas iniurias Deo illatas. Quintò, quia Alexander VI. subiecit regibus Castellae omnes Indos Occidentales vt eos debellant. Sextò, quia alijs grauissima istorum Gentium scelera non possent ab vilo homine puniri: quod videtur absurdum & contra debitum diuinæ prouidentiae ordinem.

Cyprian.

Gregorius.

186

c. Ad abolendam.

CONCLUSIO I. Ritus infidelium baptizatorum contrarij ritibus Ecclesiae, nullo modo tolerandi, sed omni ratione extirpandi sunt, quando id commodè fieri potest. Hæc est communis & certa, & patet ex pœnis, quæ iure Ecclesiastico ac civili hæreticis alijsque apostatis imponuntur. vnde etiam cap. *Ad abolendam*, de hæreticis, sub grauib. pœnis præcipitur ducibus ac magistratibus Christianis vt Ecclesiam omni ratione inuent in hæreticis extirpandis. Ratio est, quia cum hi ratione baptisimi Ecclesiae sint subiecti eiusque curæ singulariter commissi, ad hanc speciatim pertinet eos errantes ad fidem & veritatem reducere, & iniuriam quam Christo eiusque corpori inferunt impedire: & consequenter ad hoc omni ratione sibi moraliter possibili faciendum obligatur. Confirmatur, quia quicuius iure naturæ & diuino obligatur sibi subiectos quantum potest à peccando, & praesertim ab iniuria Deo ac nostræ fidei inferenda, arcere: atqui infideles exercendo nefarios suos ritus grauiter

peccant, Deoque ac veræ fidei iniuriam inferunt: ergo quando ipsi Ecclesiae sunt subiecti, hæc eos ab his quantum potest tenetur arcere.

CONCLUSIO II. Principes Christiani possunt infidelibus sibi subiectis prohibere peccata externa, quæ sunt contra legem naturæ; & deinde eos qui ea admittunt punire. Est communis, & patet ex praxi, & clara ratione: nam si possint hæc alijs suis subditis prohibere, cur non etiam infidelibus, qui non minùs iis sunt subditi, quàm alijs? Item principes infideles suis subditis infidelibus laudabiliter eiusmodi peccata prohibent, & facta puniunt, cur igitur id nequeant facere principes fideles?

Ex quo patet, Christianos principes posse infidelibus sibi subditis prohibere omnem cultum falsorum deorum, diuinationes, magiam, ac similes superstitiones, quia hæc aperte repugnant legi naturæ. vnde etiam Constantinus, alijsque primi Imperatores Christiani iusserunt statim ac commodè potuerunt, claudi templa idolorum, ac omnia eorum sacrificia cessare.

Nota tamen cum Bañez 2. 2. quaest. 10. artic. 10. dubio 2. conclus. 3. principem debere priùs prohibere eiusmodi peccata quàm ea puniat. Quia res publica ciuili (cuius locum princeps obtinet) non habet potestatem puniendi peccata, nisi quatenus hoc est necessarium vt se ac statum suum integrum conseruet, ideoque ea sola punire potest, quæ ipsam, eiusque statum, ac tranquillitatem aliqua ratione turbant. quod clarè patet ex fine quo tam ipsa, quàm potestas legislatiua & punitiua in ea instituta sunt: scilicet vt homines in vnum corpus congregati, mutuisque inter se societate ac auxilijs subnixi possint commodius humano more viuere, & omnia sibi noxia propulsare. ad quod vtraque dicta potestas fuit necessaria; ita tamen vt modo quo fieri possit suauissimo, & humanis moribus accommodato exerceretur; ad quod requiritur vt priùs peccata prohibeat quàm puniat: tum quia hoc suauius est, dum monitio, qua alii à peccatis deterreantur, præcedit punitionem: tum etiam quia peccata quæ ab ea nullo modo sunt prohibita, non censentur ipsius auctoritatem ac tranquillitatem lædere, nisi eam directè, vi aut dolo impugnent; & consequenter non videtur ea merito punire, quia potestas punitiua ei concessa est, vt possit se illasam conferuare, ad quod necesse est, vt eos à quibus læditur puniat.

Confirmatur Primò, quia communi hominum sensu res publ. censetur permittere ea peccata, quæ non prohibet, & consequenter non censetur ea posse punire. Item omnes censent, se iniuste ab aliquo lædi, nisi priùs eum aliqua ratione læserint; nec quisquam censet se alterum lædere faciendo ea quæ non prohibet. Tertiò, quia communis vsus hoc docet: nam res publica non solet punire peccata quæ non prohibet, v. c. fornicationem & similia.

CONCLUSIO III. Ritus infidelium non baptiza-

prizatorum, subiectorum tamen Christianis principibus tunc possunt tolerari quando nihil continent aperte contrarium iuri naturæ: secus est de ijs, qui continent aliquid iuri naturæ eui-

D. Thomas. Hinc *D. Thom. 2. 2. q. 10. a. 11.* & cum eo communiter Doctores docent, ritus Iudæorum à Christianis posse tolerari, quādiu exercentur sine iniuria fidei nostræ, ut etiam patet ex c. 3. & 7. de Iudæis, & praxi Ecclesiæ. Aliorum verò infidelium ritus docent non debere tolerari, quando sine graui incommodo tolli possunt. Cuius rationem *D. Thomas* cum alijs reddit, quia Iudæorum ritus, cum fidem nostram in figura expriment, hanc multum confirmant, atque ita notabilem vilitatem nobis adferunt. Secus est de ritibus aliorum infidelium, qui nihil vilitatis habent. Cuius adde rationem in conclusione positam, quia scilicet ritus Paganorum ferè continent aliquid aperte repugnans iuri naturæ, ideoque à magistratibus ciuilibus prohiberi & puniri possunt, iuxta dicta conclus. 2. Secus est de ritibus Iudæorum, qui nihil continent rectæ rationi aperte contrarium, aliàs à Deo non potuissent institui.

191 Dices Primò, illi ritus continent protestationem falsæ religionis: ergo repugnant legi naturæ. Secundò, exercentes illos protestantur Messiam nondum venisse, sed adhuc venturum esse, & consequenter protestantur Christum non esse verè Messiam, quæ est magna blasphemia in nostram fidem: ergo eiusmodi ritus fidei nostræ sunt aperte iniuriæ, & consequenter omnino tollendi.

192 Ad primum, nego antecedens loquendo per se & directè; nam illi ritus directè & per se sunt instituti ab ipso Deo, & in veri Dei honorem ac cultum, quem etiam per se & directè significant etiam post Christi aduentum: nam aliàs Apostoli post Christi passionem Act. 21. eos illicite vsurpassent. Indirectè tamen & consequenter sunt protestatio falsæ religionis, quatenus eorum exercitio significatur obseruationem legis veteris adhuc obligare, aut saltem esse licitam, Deumque adhuc verè & religiosè illis ritibus coli. quod iam est quidem falsum, non tamen est propriè contra legem naturalem, sed contra legem fidei, quæ supernaturalis est, & sola fide cognoscitur; ideoque de illa iudicare non pertinet ad principem secularem, sed ad Ecclesiam, cui illi infideles non sunt subiecti. Quod verum est etiam de infidelibus habitantibus in terris Pontificis; quia et si hi ei sunt subiecti ut principi seculari, non tamen ut Pontifici, & capiti Ecclesiæ. Quare ad eum nec tamquam ad principem secularem, nec tamquam ad Pontificem pertinet eiusmodi ritus impedire, eorum exercitio puniendo.

193 Ad secundum, nego assumptum. Illorum enim exercitio significat quidem fidem in Messiam, qui olim, quando illud erat præceptum, erat venturus; non tamen necessariò significat eum modò adhuc esse venturum, siue nondum venisse. Aliàs Apostolus Act. 21. ijs vtens negasset Christum venisse, & consequenter negasset fidem. quod dicere magna esset in ran-

tum Apostolum blasphemia. Nec refert quòd Iudæi intendant significare se adhuc expectare Messiam, quia hoc illis ritibus per accidens est.

Ex quibus patet, principes Christianos non posse propriè directè & per se impedire ne Iudæi suis ritibus vtantur, quia cum ipsi nequeant iudicare de fide, aut ex sua auctoritate aliquid circa eam statuere; nequeunt etiam prohibere aliquem ritum viuendi præcisè quia veræ fidei aliquo modo aduersatur, quando aliàs nihil continet contra ius naturæ. Per accidens tamen possunt id prohibere, quatenus hoc potest eedere in damnum reipublicæ ratione malitiæ Iudæorum, qui communiter seditiosi, & pessimè in Christianos affecti sunt, ideoque permittere eos suo ritu liberè viuere, sæpè reipublicæ periculosum est; ut vsus multis locis docuit. Hinc multis locis id eis penitus interdictum; & in locis ubi tolerantur, prohibentur nouas synagogas extruere, aut suas ampliores facere, ne nimium crescant ac insolescant. ut patet ex c. 3. & 7. de Iudæis.

CONCLUSIO IV. Quando principes non possunt eiusmodi ritus omnino prohibere, eorum exercitio impedire, sine grauioribus incommodis, ob infidelium potentiam, quorum rebellio timetur, licet eos tolerant. Hæc est aperte sententia *D. Thomæ* suprà, & communis, & patet ex praxi; nam videmus pijsimos ac laudatissimos principes ob hanc causam multorum infidelium, atque adeò etiam hæreticorum, ritus quandoque tolerasse. Et ratio est, quia, etsi numquam sint facienda mala, ut eueniant bona, aut ut grauiora mala impediantur; tamen illa sæpè licet & prudenter ob hunc finem tolerantur; quia prudenter quis ex duobus malis eligit minus, quando vtrumque vitare nequit, & ob Christianæ reipubl. salutem imprudenter quis conatur eiusmodi mala cum manifesto periculo eam euertendi tollerere. Quod etiam Christus aperte docet *Matt. 13. 13.* ubi prohibet euellere zizania cum periculo eradican- *Matt. 13.* di simul triticum.

CONCLUSIO V. Principes fideles nec sua, nec Ecclesiæ auctoritate possunt punire infideles non baptizatos, sibi que temporaliter non subiectos, ob idolatriam, aliaue peccata contra legem naturæ ab ijs commissæ: nec etiam vi sue armis eos impedire ne ea faciant, quamdiu ipsis Christianis nullam vim iniuriosè inferunt, nec in vitam innocentium iniuste defauiunt, eos dijs suis immolando, aut simili modo. Ita Bañez suprà dubio vlt. conclus. 2. Victoria de Bañez. Iure belli relect. 2. Soto in 4. d. 5. art. 10. Couar. Victoria. regul. Peccatum, p. 2. §. 10. num. 2. Valentia 2. 2. Couarru. disp. 1. quæst. 10. p. 7. Turrianus disput. 52. dub. Valentia. 2. & alij. Turrian.

Ratio est clara, quia potestas coactiua & punitiua solum competunt Superiori. nec possunt licetè exerceri nisi in subditos. Dicti autem infideles nullo modo sunt subditi Christianis principibus, aut etiam Ecclesiæ, & consequenter ab his puniri nequeunt.

Secundò, quia, ut ostendimus. 188. nemo potest punire aut vi ad aliquid cogere eum, cui

Gg 4 nihil

194 Principes Christiani solum per accidens ob incommoda quæ alijs timetur, Iudæicos ritus licetè prohibent.

195

196

Quid principes Christiani possint circa infideles sibi non subiectos.

Bañez. *Victoria.*

Soto.

Couarru.

Valentia.

Turrian.

Non possu-

mus punire

nisi subie-

ctos, quibus

aliquid pos-

suntus præ-

cipere.

nihil potest præcipere aut prohibere: atqui nec Ecclesia, nec principes Christiani possunt illis infidelibus quidquam præcipere aut prohibere, quia hoc requirit superioritatem: ergo non possunt eos punire, eosque vi ad aliquid cogere.

197

Dixi, *quandiu ipsi*, &c. Quia si aut Christianis inferrent iniuriam, aut prius illatam continuarent eorum terras iniuste occupatas possidendo, ut faciunt Turcæ; patet Christianos tunc posse vim vi repellere, & sibi iniuste ablata recuperare, si ad hoc vires ipsi suppetant.

Vim vi licite
repellimus
& à nobis, &
ab aliis in-
nocentibus,
quando hi
hoc petunt.

Item si alijs innocentibus iniuste vim inferant, possunt Christiani ab hac inferenda eos cohibere, etsi ad hoc necessarium sit, eos vi & armis inuadere: quia non solum à se, sed etiam ab alijs innocentibus iure nature licet vim illatam repellere, modò saltem is, qui eam patitur hoc petat. Quod addo, quia cum ius vim vi repellendi per se ei soli immediate conueniat qui illam iniuste patitur, aut saltem vel huius, vel eam inferentis est Superior, illicitè illud mihi usurpo, nisi ab aliquo horum id mihi committatur. Dicti autem non possunt censei id mihi committere, quando ostendunt se nullo modo petere ut id faciam. Sicut nequeo validè alterius nomine aliquid aliud agere, si ipse nolit me hoc eius nomine agere. Quæ maximè vera sunt quando dicti licite nolunt, ut me suis rebus immisceam. Censetur autem hoc petere qui desinit vim repellere præcisè quia ad hoc impotens est, alias omnino eam repulsurus. Quales censentur innocentes, præsertim pueri, quos barbari suis dijs immolant, quare Christiani, quando vires ad hoc suppetunt, possunt eos vi & armis ab eiusmodi sacrificijs cohibere, eos si opus sit regnis suis priuando. Ita Auctores in conclus. citati.

198

Nota tamen Christianos hæc non posse facere per modum punitionis, sed præcisè per modum iustæ defensionis innocentium. Quare non possunt ea facere ob peccata omnino præterita, & consequenter nec erga eos, qui iam ab iniuria inferenda aut continuanda omnino cessant. Non censentur autem cessare quamdiu iniuriam exterius illatam non reparant quantum possunt & tenentur.

199

Ad primum argumentum possum num. 185. Respondeo illum locum Scripturæ nihil facere ad rem; nam ibi solum significatur quid Deo id ad vindicandum hominum peccata permittere de facto sæpè fiat; an autem iuste, an iniuste fiat, ibi non dicitur. Adde, ibi agi de peccatis iniustitiæ, & iniurijs alijs illatis, ob quas qui eas passi sunt sæpè iuste aliena regna inuadunt, ut iam dixi. Ad confirmationem, Respondeo Israëlitas id fecisse ex peculiari Dei concessione ac præcepto, qui cum sit dominus omnium potest cuius dare potestatem alios occidendi, eorumque bona inuadendi.

200

Ad secundum, Respondeo D. Cyprianum ibi solum agere de apostatis, qui à fide ad idolatriam deficiunt, atque in veteri testamento iussos à Deo seuerè puniri, per legitimos ta-

men suos Superiores; ac denunciat in lege noua non minùs seuerè à Deo puniendos eos qui à Christo deficiunt. quare hic locus nihil facit ad rem.

Ad tertium, Respondeo illum Gennadium pugnasse contra infideles, & maximè hæreticos Wandalos, & alios qui iniuste aut à Romano Imperio defecerant, aut eius terras inuaserant. Quare ille locus nihil facit contra nos.

Ad quartum, nego antecedens propriè loquendo. nam, ut ostendi num. 196. & 198. non licet alicui propriè punire iniurias alteri homini illatas, nisi sit inferentis Superior. Sed solum licet illum cogere ut ab iniuria inferenda aut continuanda desistat, iam illatas reparando; idque solum eo casu quo læsus petit hoc fieri, secus autem esse si id non cupiat fieri, præsertim cum ipse potens esset seipsum ab omni iniuria vindicare; ut in Deo contingit, qui sine dubio suas iniurias facillimè cum ei placuerit potest vlciisci, omnesque ab ipsi inferendis vel vno verbo compescere. Quare nemo alius potest eas vlciisci, aut eas inferentes vi comprimere, nisi Deus id ei commiserit, prout commisit olim Israëlitis respectu Cananæorum, & generatim Superioribus respectu suorum subditorum. Christianis verò principibus, aut etiam Pontifici respectu infidelium ipsi non subditorum hoc negotium nullibi commisit; quare id ipsi illicitum est, nisi aliunde adfuerit iustæ causæ belli.

Ad quintum, respondi supra num. 160.

Ad sextum, nego maiorem: nam qui inter illos sunt Superiores, possunt & tenentur punire scelera inferiorum, atque adeo ipsa resp. publ. scelera ipsorum regum, quando ea hoc exigunt, potest punire, si horum sit aliqua ratione Superior, aut saltem eos ab his exercendis modo conuenienti cohibere. Quod si hismo desint officio, ob malitiam, inscitiam aut impotentiam, idèd Christiani nullum acquirunt ius eos puniendi. Sicut si aliquis supremus inter suos Christianus princeps in sua republ. multa aperta scelera impunita relinqueret, & Pontifex etiam dissimularet, modò alijs non inferat iniuriam, alij reges propterea non acquirerent ius eius regnum inuadendi; & contrarium statuere esset omnia bellis miscere, & cuius potentiori dare causam alios calumniandi, quasi impune apud eos multa scelera committerentur, atque ita afferendi se habere ius eos inuadendi. His adde, nihil videri absurdum, si dicamus aliquos esse supremos in terra principes, quorum scelera nullus mortalispotest propriè punire: sufficit enim Deum eiusmodi scelerum esse vindicem, ac tales ab alijs cohiberi posse ne iniuriam alijs inferant.

D V B I V M XIII.

*ritum in locis ubi ritus infidelium toleran-
tur, liceat ipsis vendere ea quibus sciuntur
ad suos ritus esse abuturi?*

203 **D** Thom. 2. 2. quæst. 169. a. 2. ad 4. disputans
D Thomas. ritum liceat conficere aut vendere ea,
quibus alios sciunt malè vlturos, docet. Pri-
mò, numquam licere eiusmodi res vendere ea
intentione, ut alter eis malè vltur, quod per
se clarum est, quia illum malum vltum inten-
dere per se malum est. Docet Secundò, quan-
do abest eiusmodi intentio in vendente, tunc
venditionem licere, quando huiusmodi res
sunt ex se indifferentes ad malum vel bonum
vltum; quia ratione licitè conficuntur & venduntur
mundus muliebris, et si multæ eo abutantur,
aut agnus quem infidelis immolabit: secus au-
tem esse de ijs rebus, quæ ex se quodammodo
destinatæ & determinatæ sunt ad vltum malum,
qualia sunt idola, vestes sacerdotales idolola-
trarum, & similia.

204 **S**iluester verò verb. *Infidelitas*, quæst. 4. & qui-
dam alij hanc distinctionem non admittunt:
nam cum illæ res non sint natura sua ita deter-
minatæ ad vltum malum, quin absolute possunt
iis bene vti, v. c. ad ostentationem artifi-
cij aut antiquitatis, aut peregrini vltus, &c. (in
quos sæpè vltus Christiani sine ulla culpa Gen-
tilium antiqua idola, aliasque res similes sibi
comparant) non possunt ex hominum destina-
tione ita fieri malæ, ut earum venditio sit in om-
ni casu mala; nam alias ne quidem Christiano in
vltus iam dictos liceret eas vendere.

Confirmatur, quia utraq; res ex natura
sua sunt indifferentes ad bonum vel malum vltum,
ut iam ostensum est; & sicut posteriores sunt
destinatæ ad malum vltum ex voluntate idola-
trarum, qui eas primò repererunt, ita res prio-
res sunt destinatæ ad malum vltum ex volunta-
te euentis; ergo eadem vtrarumque est ratio.
Quare illi putant solum esse distinguendum
an vendens sciat res emi ad malum vltum, an ve-
rò id ignoret, aut saltem de eo dubitet: & in se-
cundo casu aiunt vtrasque licitè vendi: in prio-
ri verò casu aiunt vtrasque licitè vendi, quando
adeft grauis causa, ut si quis sine graui incom-
modo non posset eas non vendere, quia hic
tunc non teneretur cum tanto suo incommodo
alterius peccatum impedire: secus verò esse
quando eiusmodi causa abest, tunc enim volunt
vtrasque illicitè vendi.

205 **A**lij volunt sententiam Siluestri esse veram
in venditione rerum prioris generis, siue qua
ex se habent vltum indifferentem: secus verò
esse in rebus secundæ generis, quas volunt num-
quam licitè vendi, nisi constet eas non peti in
malum vltum. Ita Malderus 2. 2. quæst. 10. art. 9.

Malder. Alij demum absolute aiunt eiusmodi vendi-
tionem esse illicitam, quando sciuntur illa e-
mi ob malum finem, quia hic ea tunc vendens
alterius peccato cooperatur. Ita Rosella verb.
Rosella. *Indeus*, 2. in fine. Armilla verb. *Infidelitas*, num. 7.

Iohannes Medina Codice de Restit. quæst. 30. Ioh. Me-
causa 1. §. *Dicendum*.

Nota Primò, eiusmodi venditionem, et si si-
ne mala intentione fiat, tamen ex duplici capi-
te posse fieri illicitam. Primò, quatenus cen-
setur quædam cooperatio ad illum malum vltum,
siue quatenus vendens hoc suo actu censetur
alterius peccato cooperari. Secundò, quatenus
tenemur ex caritate aliena peccata quantum
commodè possumus impedire. Et ex hoc præ-
cisè capite tunc mea venditio solum potest esse
mala, quando, nisi ego eiusmodi rem ipsi ven-
derem, alter eam aliunde aut non posset, aut
nollet sibi comparare; atque ita cogeretur à
suo peccato perpetrando abstinere. Agimus
autem hic propriè de priore capite, ex occasio-
ne tamen agemus etiam breuiter de secundo.

Nota Secundò, ex dictis disput. 3. num. 53. &
54. actionem externam dupliciter posse esse
malam. Primò, intrinsecè siue secundum se, &
quatenus abstrahit ab intentione qua impera-
tur. Secundò, sola denominatione extrinsecè
ratione malæ intentionis, qua imperatur, ut si
quis det eleemosynam ob vanam gloriam; quo
casu ipsa externa datio secundum se est intrin-
secè bona, & sola denominatione extrinsecè est
mala. Quando autem actio externa est solum
secundo modo mala, sicut eam exercens per
eam præcisè secundum se spectatam non pec-
cat, sed solum quia eam mala intentione facit
sic quæ bona intentione cooperatur, non pec-
cat, quia non cooperatur vltio modo actioni
malæ qua mala est. Pater in famulo iussu domi-
ni dante eleemosynam per quam dominus in-
tendit vanam gloriam. Item cupit aliquis ædi-
ficare domum ut eam meretricibus locet, qui
eum bona intentione iuuat ædificare non pec-
cant, et si sciant ipsius malam intentionem, nisi
fortè nolendo eum iuuare possent & teneren-
tur ipsius malum finem impedire; aut nisi ex-
terna ædificatio cum ijs circumstantijs fieret,
ut ex ijs aperte pateret eam domum in talem fi-
nem ædificari; tunc enim ipsa ædificatio secun-
dum se ratione illarum circumstantiarum esset
mala, & non solum ratione malæ intentionis:
nisi fortè ob alias iustas causas excusaretur. nam
sicut magistratus ob iustas causas potest per-
mittere meretrices, & assignare illis certa loca,
in quibus habitent: ita ob easdem potest quis ijs
domos ædificare, non quidem ut illæ in ijs pec-
cent, sed ut euitentur grauiora incommoda,
quæ alias sequerentur.

208 **N**ota Tertiò, quasdam actiones esse ita ma-
las, ut nulla ratione possint bene fieri, ut est duplex.
odiu Dei, sodomia, & similia. Alias rursus
esse ita bonas ut nequeant malè fieri, ut est a-
mor Dei, assensus fidei theologicæ, &c. Tertiò,
alias esse ex ratione sui obiecti ita bonas aut sal-
tem indifferentes, ut tamen ratione circum-
stantiarum vitari possint, quales sunt dare ele-
emosynam, ambulare, &c. Quartò, alias ex se
ita natas esse malè fieri, ut tamen ex aliqua cir-
cumstantia possint honestari: quales sunt per-
missio meretricum, adolere thus coram idolo,
quod in theatro solum representandi causa
bene fieri potest. Sicut igitur actiones tertij ge-
neris

206
Venditio rei
qua emens
abutetur, ex
duplici ca-
pite potest
esse mala.

207
Actio exter-
na quando-
que in se,
alias solum
denomina-
tione ex-
trinsecè est
mala.

208
Actio qua-
dam duplex.